




79 71 45










HILD talalta és rajzolta Pesten.


FALKA metszette Budán 1807.


A Nemzeti Gyűjtemények új Tárházának az Hatvani útsza felé álló

H O M L O K F A L A


Pesten.








LKA, melizette & Budin 1807.





MVSEVM
HVNGARICVM

EXCELSIS REGNI PROCERIBVS



ET

INCLYTIS

STATIBVS AC ORDINIBVS

EXHIBITVM.



BVD AE,
TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS HVNGARICAE.

VTVT praeclarum Nationis Hungaræ studium in Litterarum, et bonarum Artium promotionem, non pauca pro Principis, et Populi emolumento iam exhibuerit Magnanimitatis, atque Liberalitatis specimina: diffitendum tamen non est, desiderari adhuc documenta, quæ sempiternam totius Regni in hoc argumento loquantur gloriam. — Gentis enim vniuersæ nomen neutiquam a priuatis Ciuium fortunis, sed a publicis, quæ ad ingeniorum ornatum pertinent, monumentis aestimandum esse, sapienter Veteres tradiderunt, quum non solum nobis, sed etiam Reipublicæ diuites esse debeamus, partemque patrimonii nostri sibi optimo iure Patria vendicet, vt honorum Ciuium fama, et existimatio domi, forisque concelebretur. — Eapropter omnem occasionem nobis iucundam esse oportet, qua ad faciendam aliquam pro Patriæ dignitate ex penu nostra largitionem iustis prouocamur titulis.

PROFECTO excelso animo nihil magnificentius euenire solet, quam, si argentum ad frugiferum aliquod Ciuitatis Institutum liberaliter, promteque conferre valeat, ex quo scilicet Populares sua percipiant, videantque commoda, Peregrini vero primo Adparatus publici conspectu intelligant, culturam haud iam amplius in nobis desiderari, sine cuius ardore in vita nihil quicquam fit egregium.

HAEC diu, multumque pensitata id tandem consilii suggesserunt, vt pro communi Patriæ laude, vtilitateque maxima omnis cura, atque sollicitudo in erigendum *Museum Hungaricum* Regni conuerteretur, complexurum scilicet, quidquid Litteratura nationalis ambitu suo fouet, et comprehendit.

IN hoc enim gentilitium Musarum Theatrum accersiri optamus Libros cuiuscunque idiomatis, et argumenti ab

Hungaris, aut etiam ab Exteris, de Rebus Ditiones Coronae Apostolicae quoquo modo attinentibus editos, atque Codices manuscriptos rerum Hungaricarum, Chartas item geographicas, Scuta gentilitia, Prospectus Regionum, Hortorum, Arcium, Castrorum, Urbium, Oppidorum, Obsidionum, Praeliorum, quorumuis Aedificiorum, Icones Regum, Ducum, Principum Regionum, Virorum omnis Ordinis, et Status illustrium, Personarumque memorabilium. — Ad haec praeterea recipiuntur Cortices, et tabulae Lignorum domesticorum, Herbae, Gramina, Frutices, Radices, dein Minerae, Gemmae, Lapides, Terrae, Petreficata, non minus Quadrupedia, Volatilia, Pisces, et Amphibia animalia, omnia denique, quae largiter Pannoniae, Daciae, et Illyrici montes, nemora, arua, et flumina e tribus Naturae regnis pollicentur. — Tum Sigilla, Bullae, Cerae, Monetae, ex omni aevo Regum nostrorum Numismata, atque Numi memoriales. Porro Marmora, Vasa antiqua, Urnae, Statuae in solo Hungarico repertae, Machinae speciales, Torques, Monilia, diuersa superiorum temporum Arma, et Instrumenta bellica; singularia denique Industriae nationalis specimina, Artefacta, aliaque varii generis Pretiosa, aut visu digna, et affabre figurata, quae priuatos inter parietes nunc hinc, et illinc sine fructu delitescunt, aut plane inter pulueres sordescunt, huc inferenda sunt.

NAMQUE huiusmodi Thesauri publici possessio emetur diuitias, honorem, ac eruditionem Nationis, et in hunc aggregandum collocatae pecuniae optima est, communisque omnium haereditas. — Id enim cuiusque est proprium, quo quisque frui, atque vti potest. — Vtinam! dudum quorundam Patrum immensa pecuniarum cupiditas partem, fortunarum suarum ad necessarios Reipublicae vsus expetiisset, fortassis vis maior aptissimis Pubis nostrae ingeniis iam pridem incensa fuisset.

SED enim vti nulla ignoti est cupido, ita non vna etiam omnibus est facies, nec iidem omnibus oculi. — Diuersa scilicet hominum studia, et iudicia neglexerunt domi vtilissima, posteaquam Rerum aestumatissimarum contemptus, vel auri sacra fames nostris e terris olim absportari passa est plurima, et pretiosissima, quae velut aliena nunc foris
admi-

admiramur. — Non omnis lucri quaerendi occasio semper decora est, nec etiam vbique, ac omni tempore parcum esse decet. — Pulchrum quidem est subinde studere parsimoniae: at pulchrius certe seruire Nationis gloriae. — In eo profecto omnes consentire videmur, illos optime consulere Patriae, qui ad res huius ornandas, augendas, conseruandasque nequaquam morantur benefica largiri subsidia.

SIMVS ergo ea mente, quam veritas annunciat, et ratio postulat. — Conferamus quisque pro viribus nostris symbolam ad Institutum, cuius generis plura per Europam, cum primis Petropoli, Londini, et Lutetiae Parisiorum florent. — Bononiae quoque, Lugduni Batauorum, Florentiae, Dresdae, Brunsvici, Berolini, Casselis, et alibi hactenus suspiciebantur, quae neutiquam solo Fisci reddito, sed ex bonorum Ciuium munificentia surrexerunt, opibusque non minus vndeunde congestis, sed etiam Hungaricis refertissima celebrantur. — Macti animis illustres Ciues! — Studeamus in rem non minus Patriae honorificam, quam salutarem totis concordiae viribus, per quam res quoque minimae conualescunt. — Non absterreat nos molestia cum hoc molimine coniuncta, nec immensa opinionum varietas, verum profiteamur vnanimis palam Orbi vniuerso memorabili generositatis opere, Hungarum non solum sibi, sed etiam Patriae natum esse.

§. I.

DE LOCO MVSEI.

His rationum momentis profundius in animum admisis, facile perspici potest, primum, et ante omnia definendum esse, quo in *Loco* isthoc Museum ad communem vsum condi, ponique debeat? — Spectato Regionis situ, dubitari nequit, *PESTHINVM* praeferendum esse quibusuis aliis Hungariae Urbibus. — Namque situs amoenitate, amplitudine, mercatu, cultura morum, academica vniuersarum Scientiarum Sede, Regni Tribunalibus, Forisque prouincialibus, Dicasteriorum trans Istrum propinquitate, hospitii Militum, Cleri iunioris Seminario, flore studiosae Iuuentutis, Iurisconsultorum corona, nobilissimorum denique ex omni ordine Incola-

rum, eruditissimorumque Virorum celebritate, atque plurimorum non modo Patriae Ciuium, sed etiam exterorum Hospitum, et peregre commeantium confluxu nunquam non frequens est. — Si talismodi Instituto praeterea condecoratum fuerit, spes non vana affulget, ad resuscitandam quodam modo memoriam amissi Litterarii, qui seculo quinto supra decimum vsque Cladem Moháchiensem vicinam *BVDAM* ornabat, *Thesauri CORVINIANI*.

§. II.

DE AEDIFICIO MVSEI.

INTEREST proinde Aedes sat, superque capaces ad iustam proceritatem erigere, et non modo interna instructione conuenienter prouidere, sed eas extus etiam ad regulas Architecturae conformare, quo videlicet Nationis cultissimae magnanimitas, gustus, studiumque promouendi Boni publici iam ex ipsius Palatii nitore elucescat. — In praesenti vero Domus aerialis defectu, a liberalitate, perspicacia, atque promptitudine Popularium confidere vtique integrum est, quod nouum potius e fundamento Aedificium excitare malint, atque congruis vsibus aptum, idoneumque reddere, quam, vt vetus aliquod multo aere mercandum, et minus commode complicandum existiment.

§. III.

DE PARTITIONE DOMVS.

MVSEVM enim istud nationale certe amplum deprecere spatium, ipsa necessaria Domus *Partitio* adperite indigitat; quum 1) praeter Palatium pro Bibliotheca cum Lectorio, Cancellariae, et Custodum conclauis requirantur Atria 2) pro Nummophylacio, 3) pro Cimelio Antiquitatum, Raritatum, et Pretiosorum, 4) pro Promptuario Armorum, 5) pro Camera rerum naturalium, 6) pro Gazophylacio technologico Manufacturarum, et Fabricatorum, 7) pro Porticu Lapidum, Vrnarum, et Statuarum, demum 8) pro Pantheo Virorum illustrium. — Quibus accedunt 9) habitationes Per-

sonarum, quae ad totius Musei directionem, curam, et inspectionem immediate pertinent, aliarumque 10) diuersarum rerum Officinae.

a) *Bibliotheca.*

Bibliotheca iam praesto est, eaque tanta, vt in ipso suo primordio cuiusuis opinionem, et expectationem omnino anteuertit. — Immortalis enim Conditor, Excellentissimus Comes FRANCISCVS SZÉCHÉNY eam non antea Regno sacram, publicique iuris esse voluit, priusquam Libris, Manuscriptis, Chartis geographicis, Iconibus, Scutisque gentiliis emineret numerosissimis, essetque in suo genere per Europam vnica. — Etsi quinquennium nondum elapsum sit, ex quo ab omnium Ordinum Ciuibus, immo etiam ab Exteris diligentissime frequentatur, accessiones Donorum tamen iam tantas fecit, vt Eruditi, alique Litterarum Hungaricarum Promotores eam prope bis mille, vel amplius Exemplaribus ornauerint, ac quotidie nouis Editionibus augere, aut rarioribus priorum seculorum Lucubrationibus, manu, vel stanno exaratis, locupletare pergant. — Illacrimandum sane foret, si istos nullo pretio digne satis redimendos Thesaurus Patria sine certo reddito euilescere, aut in sui detrimentum, atque ignominiam, et cum ipsius Donantis iniuria celebre isthoc Palladium plane iam in ortu emori pateretur.

b) *Nummophylacium.*

Non minus ex eiusdem Patricii amplissimi congenita benefaciendi voluntate, atque liberalitate Regnum iam etiam *Nummophylacio* potitur perquam opulento, cuius octo, et decem Pulpita e diuersis Ligni Hungarici speciebus fabre constructa, monetis Regum nostrorum, et numismatis omnis metalli rarissimis, pretiosissimisque secundum seriem chronologicam ab initio Imperii vsque nostram aetatem in valore prope triginta mille Rhenensium abundant, fulgent, et resplendescunt.

c) *Sphragistica.*

NVMMOPHYLACIO affinis est adparatus *Sphragisticus*. Res enim patrias collustrari Sigillis, Bullis, Ceris Regum

nostrorum, Praesulum, Capitulum, Comitatum, Ciuitatum, Regni Baronum, ordinariorum Iudicum, Dicasteriorum, Tribunalium, ac quocumque demum nomine insigniendorum Magistratum, Iurisdictionum, et Institutorum, neutiquam fugit Viros, qui in eruendis, soluendisque varii argumenti ex Iure Publico, Historia, et Diplomatica quaestionibus potio- rem vitae suae partem laboriosius contriuerunt. — Illustris LVDOVICVS de RHÉDE solícite nunc incumbit pro Regni Museo conquirendae Sphragisticae Hungaricae Collectioni, cuius praeclaris conatibus vtinam! plures suffragarentur; edocti scilicet ex PRAYANO *Syntagmate historico de Sigillis*, quod iussu Serenissimi Archiducis IOSEPHI Palatini, Quarti maioris formis lucem conspexerat, Sigillorum in Foro non mediocrem Iudicibus habendam esse rationem.

d) *Antiquitates.*

GAZOPHYLACII autem *Antiquitatum*, *Pretiosorum*, *Raritatum*, aliarumque ad illud pertinentium Rerum adeo parua adhuc sunt initia, vt ea ne eminus quidem memoranda putentur. — Nam praeter duas *Statuas* celeberrimi condam Posoniensis Statuarii MESZERSCHMIDII, atque *Scyphum* argenteum, intextis vncialibus nummis artificiose compaginatum, *Vexillum* Transilvaniae Principis GEORGII II. RÁKOCZY, *Pixidem* vnam ferream politissime conflata, testaceas tres *Vrnas* Romanas pone Péch-Várad effossas, *Idolum*que in agro Abbatiae Telkensis repertum, et *Thecam* nitrati pulueris e cauda Crocodylli, cum antiquo *annulo* argenteo, quatuor Rubinis corruscante, qui ad Szegedinum inuentus est, atque aliis quibusdam minutiis nihil singulare exhiberi potest. — Ocius admouenda videtur esse manus, vt aliquando amplior, visuque dignus pro Regni honore, splendore, et amplitudine similium adparatus exsurgat. — Extare enim inter Hungaros plurimas diuersi generis pretiosissimas Antiquitates (si Principum ESZTERHÁZY, Comitum VICZAY, et Baronum PALOCSAY excipias) *Budae* MARCZIBÁNYANUM, nuper a perito huiusmodi cupediarum Anglo supra septies centena millia aestimatum Cimelium affatim testificatur. — Olim haec ad delectationem, et ad opes Familiarum cumulandas magnis impensis congregabantur, hodie studiosius occultantur, eorumque aspectus vix alicui

con-

conceditur, ne ad publicam notitiam fortunae gentilitiae peruenirent, tametsi ad tuendam coram Exteris Regni auctoritatem, et procurandum Litterarum, ac Artium incrementum potius indicanda, et plurium vsibus sub publica Custodia exponenda esse, verus in Patriam amor moneat. — Et talibus enim monumentis non modo diuersarum Gentium, Maiorumque, qui praeteritis temporibus floruerunt, gustus aestheticus, ac facultatum affluentia eruitur, Artificum remniscentia reuiuiscit, et recte fabricatis iustum statuitur pretium, sed etiam genetliacae, necrologicae, chronologicae, aliaeque controuersiae historicae inter Eruditos optato cum fructu saepenumero definiuntur.

e) *Arma.*

EADEM quoque est *Armorum* ratio. — Pars enim non postrema opulentiae merito existimatur, possidere prisci aevi Clypeos, Argyraspides, Pugiones, Enses, Gladios, Cultros, Hastas, Sagittas, Thoraces, Galeas, Cassides, Clauas, Secures, Sclopos, Phaleras, et ornatus Equiles, diuersae denique appellationis, et figurae Ferrum, quod seu Antiquitas, seu forma, seu pretium commendat. — In Armis multo aere cogendis Hungaro solertia nunquam defuit. — Hodie denati proxime L. B. LADISLAI ab ORCZY Armamentarium palmam praeferre caeteris non temere existimatur. — Arma non minus veterem belligerandi modum, quam ipsum fortitudinis in Natione studium confirmant, et plurima etiam Heroum generosa facinora, Victorumque memoriam persaepe illustrant, ac conseruant. — Igitur conuenientissimum est, ut istis quoque aucupandis, et in Museo Regnicolari publico conspectui proponendis haud desidiose opera adhibeatur.

f) *Producta Naturae.*

Productorum vero *Naturae* etsi non modicam portionem variis viis, ac modis e Patria euectam indolere oporteat, immo per vanae gloriolae cupiditatem etiamnum Ienam efferi sentiamus; tanta tamen eorum adhuc domi habetur multitudo, ut, si singula, quae e Regno cum primis minerali elegantissima sparsim hic, illicque latent, in vnum aceruum comportarentur, incredibilis certe magnitudinis Triclinium postularent. — Quot enim diuites auri, argentique mine-

rae, gemmae, marmora, lithoxyla, conchyliæ, alique pretiosi lapides in priuatis aedibus percellunt oculos, maximo futuri Eruditis commodo, si iisdem sine difficultate vti liceret? — *Museo Hungarico* nuper ex liberalitate Excellentissimæ, ac Illustrissimæ Matronæ IULIANÆ SZÉCHÉNY, natæ Comitissæ FESTETICS dono paruula quidem, nihilominus haud inelegans minerarum Suppellex adpromissa fuit, altera iam est a Comite FRANCISCO FEKETE muneri missa, alia a praeclaro LVDOVICI de RHÉDEI in Patriam studio, atque L. B. ab OTT liberalitate proxime obtigerunt. — Ast prae caeteris oppido est eximia Excellentissimi Domini Comitis IOSEPHI a BRVNSZVIK Budam ante biennium adportata. — *Xylothea* autem *hungarica* se Patriæ, quum aptus fuerit locus, gratificaturum Illustrissimus Dominus Comes LEOPOLDVS ab ANDRÁSY pollicitus est, quo Commercium domesticum, artes, vberior cognitio, et industria Opificum adiuuaretur. — Benefica talismodi Patriciorum exempla non possunt non Collectiones etiam Herbarum, totiusque regni Vegetabilis, et Animalis Hungarici pedetentim progenerare selectissimas.

g) *Technologia.*

IVNGVNTVR proximo affinitatis vinculo trium naturæ Regnorum productis *Manufactæ*, ac *Fabricatæ*, quæ beneficio Technologiæ e crudis, atque naturalibus materiis in varias formas transmutata ita vitæ vsibus per exercitatos Artium Magistros persæpe accommodantur, vt apud cultiores Europæ Nationes præcipuos Quaestus articulos constituent, et vel exteris diuitias in sua Territoria aduehant, vel domesticas e Regno egredi non patiantur. — Haud quidem abnuendum est, Hungariam in hoc genere longe posteriorem adhuc esse quavis vicina Austriæ Prouincia, seu, quod nonnulli Hungaros intra limites duntaxat Producentium continendos esse putent, seu, quod Populares nostri aes suum in spem lucri dubiam commodare nolint. Nihilominus haud ita egenum esse patrium Solum, vt nulla pars Ciuium progressionem in Technologia fecisse credatur, adpertissime commonstrat SCHEDIVM *de præsentis statu Fabricarum, et Manufacturarum in Hungaria*, quod formis octauis anno 1793. Magno-Varadini lucem vidit, iamque

etiam nouis accessionibus amplificari posset. — Quantulacunque sint, quae in eodem recensentur, industriae specimina, tanta tamen certo sunt, vt eorum gratia perinde fornix aliquis technologicus in *Museo Hungarico* designari mereatur, futurus tam exteris, quam domesticis exemplo, Hungaros neque huius culturae, et perfectionis ramo penitus indormiuisse.

h) *Marmora.*

AVGVRA TVR quoque mens Eruditorum, iustitiaque re-
ctis consiliis promittit *Porticum*, in qua veterum Statuarum
fragmentis, inscriptionibusque Marmorum, seu sepulchralium,
seu aliorum Lapidum non modo oculus recreetur, sed etiam
ingenium prisci temporis recordatione reficiatur. — Iacent
inter rudera Templorum, Arcium, aliarumque vetustarum
Aedium, immo in ipsis viis sparsi per Hungariam Lapides
innumeri, quin attentionem hactenus communem excitasse
obseruarentur. — Hic SOLYOMIORUM, ibi BATHORIORUM,
inibi TELECDIORUM, RHÉDEIORUM, alibi aliarum illu-
strium Familiarum vestigia deprehenduntur. — Ipsum quo-
que Augustae Bibliothecae Palatinae Vindobonensis atrium
Antiquitatibus veteris Pannoniae, et Daciae in regione Te-
mesiensi repertis amplissime instructum est. — Fructus ex
huius generis monumentis in Historiam redundans nonnisi
insigniter imperitos, et ignauos latere potest. — Profecto
Analectis, quae olim ZAMOSCIUS, TRÖSTERVS, GRISE-
LINVS, FRIDVÁLSZKIVS, HOHENHAVSENVS, SEIVER-
TVS, BODIVS, alique in chartas transcripserunt, grata
posteritas nunquam non perfruetur.

i) *Pantheum.*

ADICIENDVM his est *Pantheum*, cuius parietes obe-
gantur Iconibus Principum regionum, Virorumque de Rege,
et Patria optime meritorum, quos seu prisca, seu nostra
progeneravit aetas, vt eorundem virtutes Iunioribus imitandae
in exemplum proponerentur. — Absit, vt fumosae (prout
hodie affectatae Philosophiae Athletae obtendunt) per id
iactari postulentur imagines. — Pietas sane in eximios Ci-
ues id suadere videtur, scilicet, vt conspecta Illorum effigie,

quorum praeclarum religionis, bellicae virtutis, liberalitatis, fidei in Principem, amorisque in Patriam studium Fasti prolixius commendant, sensus quidam excitetur, non raro Religioni, Principi, et Patriae fructuosissimus. An Hungaros a consuetudine apud Graecos, et Romanos coepta, postea vero ad singulas cultiores Europae Nationes propagata, alienos esse oporteat? non sine iudicio quaesieris.

§. IV.

DE MODO LOCUPLETANDI MUSEVM.

Nihil ergo praestabilius ad perfectionem *Musei Hungarici* suscipi potest, quam, si vnanimi consensione bonorum Patriae Ciuium collaboratum fuerit, vt memorabile istud Regni Institutum maiora in dies accipiat incrementa, atque perenni fomento fructuose contineatur.

1) *Bibliothecae* augmentis prospectum quidem est per Resolutionem regiam de 28. Februarii 1804. Num. 4333. et de 23. Iunii 1807. Num. 12710. ad omnes Iurisdictiones dimissam, quae vniuersos Typographos obligat ad vnum exemplar Bibliothecae Regni cedendum ex omni Opere, et quibusuis foliis, quae ipsi prelis suis excudunt. Sed enim, quod effectus admodum tardus, ac pene apud nonnullos voluntarius sit, defectum Librorum recentiorum in Bibliotheca Regnicolari etiamnum Excellentissimus, ac Illustrissimus eius Fundator multis cum difficultatibus, et impensis supplere cogitur. — Slaucorum autem, Illyricorum, et Valachicorum (vtut huc pertineant) Operum exemplaria pondere suo tholos nondum premunt. — De iis item, quae in vicina Transilvania, Gallicia, Germania, et alibi quotannis apud exteros de rebus Hungaricis, aut ab Hungaris prodeunt, comparandis, prospiciendum adhuc superest: vti etiam antiquioribus litterariis foetibus exquirendis, et vniuersim de iis consulendum est, quae in Catalogis Bibliothecae hactenus editis non memorantur, ne post fata Fundatoris hiatus intercedat. — Vnde non abs re videtur vltro Benignis Resolutionibus Regiis ea lege insistendum esse, vt Typographi Libros a se excusos haud antea in vulgus emittere audeant, quam Regio Librorum Reuisoratus
Officio

Officio ipsum Opusculum, vel apocham Bibliothecariorum super accurata administratione exhibuerint, plectendi mulcta pecuniaria, si Mandatis obsequi neglexerint, aut transpositionem Operum in longius tempus, quo in obliuionem abeant, exquisitis sub praetextibus produxerint. — Administratio enim exemplarium diligentissime curanda est, quum celebritatem Bibliothecae multum moretur, si Lucubrationibus, quas omnium versant manus, nationalis Theca diutius, aut plane in sempiternum carere cogatur. — Difficultates autem, quae de Editionibus Rerum patriarum in Transilvania, Germania, aut alibi Gentium, scilicet extra Ditiones Coronae apostolicae impressis occurrunt, mox perenni Fundo anteuertendas, et superandas nemo non potest non sperare. — Quod ipsum etiam ab Illyricae nationis, quae caeteroquin Hungaris socia Libertate iuncta est, propensione in suam Linguam sine dubitatione polliceri licebit. — In redimendis denique Operibus rarioribus omnem pene sollicitudinem magna benefici Fundatoris mens caeteroquin iam anticipauit.

2) Ad suppetias porro litterarias *Manuscripta* spectare, ignotum esse potest nemini. — Bibliotheca Hungarica numerum Codicum manu exaratorum iam supra mille Volumina produxit, inter quae partem non exiguam Autographa sibi vendicant, propediem publicae notitiae danda in Catalogo, qui iam ad umbilicum perductus est, commonstraturus, quantis diuitiis isthoc Regni Tabularium nunc affluat, et qualibus adhuc locupletari possit, atque debeat, si quorundam hominum animi vanis, quibus adhuc obsidentur, monstris penitus renunciauerint. — Multae sane adhuc in Archiuis, Scriniis, et Cistis Familiarum, ne dicam, Capitulorum, Conuentuum, Comitatum, et Ciuitatum reconditae sunt Litterae, quae ad tuenda Iura possessionaria hodie minime faciunt, Diplomaticae nihilominus, Sphragisticae, Historiae, Statisticae, publico, priuatoque Iuri nostro facem accensurae profecto lucidissimam, si muribus, blattis, et tineis otius eriperentur, et nouo huic Musarum Hungaricarum emporio accenserentur, vt Viri de elucubrandis obscuris Patriae Antiquitatibus solliciti eadem peruestigare, et ad commune totius Monarchiae incrementum accomodare valerent. — Neutiquam Autographa (nisi quis ea sponte cedere

velit) huc inferri, et a Familiis abalienari petuntur. — Abunde enim augendae suppellectili Manuscriptorum prouidetur, si ea in Transunto authentico extradentur, aut vero penes Reuersales Bibliothecae Commembris erga restitutionem describenda concedantur. — Sunt praeterea nonnullis integra varii argumenti Collectanea in plures persaepe Tomos coaceruata, quae hic vilipendit, iste dissimulat, aut negligit, alius sordida illiberalitate caelat, partem haereditatis fortasse amissurum se existimans, si illa publici iuris fieri indulgeret, tametsi ipse vsum facere neque velit, neque possit, immo, si vellet, non tamen sciat. — Hinc omnino euenit, quod etiamnum multi nostris e Scriptoribus tum superioris, cum praesentis aevi ignorentur, nunquam eorum nomina, atque conatus Litteratoribus innotescant, sicque praestantissimorum Regni Ciuum Opera, et memoria penitus intercitat. — An non ergo Patriae ius est exigere, vt eruditi talismodi foetus eo in loco conseruentur, in quo Donum, atque Donans sempiternam viuant vitam?

3) *Scutaria* vero collectio, vtut aliquot mille Familias nobiles iam complectatur, tantum tamen abest, vt Heraldicae Hungaricae sufficere videatur, quin potius imploranda est vniuersae Nobilitatis in Patriam, et Genus suum charitas, quo ii, qui in Elencho Scutario, suo tempore perinde typis vulgando, Stirpis suae nomen non offenderint, Bibliothecam peltula seu in quartae, seu octauae formae folio coloribus, siue (vt aiunt) metallis distincta, ad laudem, decusque Prosapiae donare, aut saltem sua Arma depingenda cedere, et fatigia Pictoris iusta mercede vndeunde compensare indulgeant.

4) NON eadem est Chartas geographicas, Prospectus, Icones, totamque *Graphidem Hungaricam* amplificandi conditio, seu, quod haec maioribus impensis procuranda sit, seu, quod ea, quae intra Regni fines quotannis celantur, exiguum adhuc constituent numerum, potioraque Viennae, aut procul a Patriae limitibus excudantur. — Itaque mancam, quae modo in Bibliotheca asseruatur, Collectionem (tametsi non mediocris censi queat) restaurandi, vel vltro continuandi haud alia via expeditior suppetit, quam, si tum ea, quae aeri incisa habentur, tum illa, quae

manu, et coloribus delineata inueniuntur, integræque Territoria, Aedificia, Personas memorabiles, etc. repræsentant, suo olim e fundo comparari contendantur. — Ab aliquot enim lustris adaucta non modo per diligentiores Patriæ filios, sed etiam per externos Chalcographia Hungarica pene incredibiles aduertitur fecisse progressiones.

5) *Nummophilacio Hungarico* iam parum deesse videtur. — Diligentissimus enim illius Collector, quoscunque obtinere potuit, nummos redinere neutiquam neglexit. Nec fere aliud reliquum est, quam, vt monetae, quae in Catalogo numismatico cum Descriptione, ac ipsis nummis in centum, et decem Tabulis proponuntur, et post breue temporis spatium publici iuris faciendo, non continentur, aut a bonis nostris Popularibus dono suppleantur, aut per cambium Regni Cimelio transcribantur.

6) *Eadem quoque via Sigilla, Bullae, et Cerae* conquirendae sunt. — Aliquam eorum partem in Tabulariis Comitatum reperiri, experientia docet. — In his enim se subinde offerunt Diplomata, Litterae nobilitares extinctarum Familiarum, quibus Sigilla sunt appressa, vel pendula. Non minus occurrunt saepenumero in Processibus productionalibus Armales, quae, quod rasae, cancellatae, sublestae, vel supposititiae sint, Producentibus adimuntur, ne iisdem porro abuti queant; ipsa tamen Sigilla haud digna destituntur authentia. — Haec a talismodi Litteris armalibus decerpta, ordinem in serie chronologica Regum Hungariae, Principum Transilvaniae, aliarumque illustrium Personarum successu temporis datura, atque sphragisticum, quod optamus, Cimelium sine multis sumtibus, et fatigiis formatura sunt.

7) *Antiquitates*, rariora, pretiosa item, aliaque visu digna in obscuro loco adhuc infinita lugent clausa, solitariaque paucis cognita tacent. — Si Patriam amamus, in apricum talia proferenda sunt. — Quod enim solatium esse potest e possessorio Thesauri, qui a plerisque ignoratur, et ex quo nullus in Patriam honor, nullumque prorsus emolumentum profluit? — Heu! quantae adhuc opes abduntur, et flaccescunt, quantae item vltra Regni terminos depor-

tatae sunt. — Nihil proinde nobilius suscipi quit, quam, si Potentiores ad conseruandam generis sui celebritatem in publicam Rerum suarum custodiam sub certis conditionibus (quodsi omni iure se abdicare nolint) consenserint, aut integrarum, ampliorumque huiusmodi Collectionum Possessores *Fidei-Commisum* condiderint (saluo ipsis Successoribus proprietatis iure) atque huc intulerint, cuiusuis obtutui subiicienda, et ad communem vsum explicanda.

8) NEQVE aliter de adornando *Armorum* adparatu sentiendum est. — Eadem enim semita progrediendum erit, vt etiam Promptuarium huius nominis consurgat, si vera in Patriam dulcissimam, cui obstricti sumus, pietas nos tandem ea suscipere, atque exequi iusserit, quae nobilis Populi magnificentiam in secula sustineant.

9) MODVS *Producta naturae* aggregandi, ac cumprimis mineras, fortasse minori cum sollicitudine perfici potest, seu, quod Museo earundem memorabilis accessio facta iam sit, seu etiam, quod plura agglomerandi citra aliquas expensas spes non possit non affulgere maxima, si in calculum sumantur tot, tantaeque Collectiones, quae in priuatis multorum Aedibus sparsim per Regnum habentur perfectissimae. — Quis enim de bona Popularium nostrorum in hoc illustre Institutum voluntate dubitare velit? — Confidere sane licet, assurecturos aliquos, qui ad nomen suum in Annalibus iugi recordatione percolendum, malint potius mineras singulares, marmora, petreficata, aliasque gemmarum, et lapidum species Nationis Museo cedere, quam, vt plurimo cum fatigio conquisitas talismodi opes pro modico lucro post sua fata dissipari patiantur. — Connatus Hungaro in Patriam animus prompta largitione id vtique effecturus est, quod tot tantorumque votis iam dudum expetitur fuit. — Xylothecam porro commendare tanto magis interest, quanto certius habetur, perfectionem illius duntaxat in concursu plurium sperandam esse. — Paranda quippe Theca est ad formam Libri in folio, quarto vel octauo, cuius dorsum ornet Cortex, appressa latina, hungarica, et germanica significatione, ipsae vero Tabulae nitidissime politae sint, interiorque arcula praeter florem, et folium, etiam radicem contineat. — Hac sane ratione non modo complexus omnium

Ligno-

Lignorum, quorum Hungaria ingentem copiam parit, publice contemplantibus proponetur, sed etiam eorumdem vsus examini Artificum, et naturae Scrutatorum subiicietur. — Iuuerit autem plurimum Physicos prouinciales in auxilium aduocare, eosdemque ad Botanicae studium regionis, in qua degunt, excolendum officiose admonere, quo videlicet quisque Floram sui Comitatus iuxta Systema Celeberrimi, quem Hungaria tulit tellus, Botanici PAVLI KIETAIBELII adornare occiperet, Herbas, Gramina, Flores, Radices, Ligna, etc. cum graphica situs, et locorum, in quibus procreantur, adumbratione *Museo Hungarico* transponere iubeantur. — Eadem quoque obligatio illos quoad omnis generis, speciei, et nominis animalia manere debet. — A Viris, quos munus suum seruiendi cum amore Patriae copulare decet, hancece promptitudinem sibi promittere, profecto facile est.

10) GLORIAM amplioris adparatus *Technologici* hactenus fortuna Patriae nostrae inuidere visa est, sed iactis solidioribus olim Commercii fundamentis, spes sane arridet maxima, vt Artifices, Opifices, et Fabricantes Paradigmata sponte oblaturi sint, ad maiorem, celerioremq̃ue notitiam suorum artefactorum hac via disseminandam. — Interea contenti simus, oportet, modico Scrinio, quod diulgata mox Instituti fama sine multa aeris profusione completura pedetentim est. Erunt certe, qui abs sua manu, et industria fabricata gratuito, aut iusto pretio redimenda exhibebunt. — Nihilominus creditu perquam est difficile, vt Promptuarium technologicum sine certis subsidiis primum instrui, et postea conseruari possit. Verum a tot, tantisque praeclarissimis Patriae Ciuibus haud aliud expectandum est, quam, vt, perspecto vberrimo, qui per id Commercio affluit, fructu, huic quoque defectui liberaliter subueniatur.

11) DE *Marmoribus*, vniuersim de Statuis, Vrnis, aliisque Lapidibus, Inscriptionibus, et Monumentis sperare proum est, haud defuturos, qui in Praediis suis effossa, aut inter rudera Aedificiorum vetustiorum inuenta velint huc potius donare, quam aequo tolerare animo, vt per pinguis mineruae homines diffringantur, aut alia ratione sine omni eruditionis accessione penitus intereant.

12) DENIQUE ad erigendum *Pantheum* nulli prorsus MUSEO sumtus faciendi sunt. — Namque singulus, qui Maiorum suorum Simulacra hoc in loco publice exposita esse cupit, eadem quoque suo aere adparaturus, omnesque caeteroquin expensas lubenter supportaturus est.

Si itaque PATRIA sibi blanditur, praeclaros, locupletioresque municipes pro Nationis honore, ac emolumento in hos aequissimos, facillimosque constituendi, et amplificandi *Musei Hungarici* modos alacri animo, et sine cunctatione assensuros, an eam spe, cupiditate, ac fiducia diutius adhuc frustrari patiemur?

§. V.

DE ANNVIS MUSEI EROGATIONIBVS.

TANTAE itaque moli cum dignitate Regni sustinendae non mediocre impendere *Erogationum* onus ex ipsius Adparatus magnitudine perspicuum redditur. — Aliae earum *primo* in construendo aedificio, itemque *secundo* in interna Conclauium instructione defixae sunt. Alias *tertio* conseruatio Tectorum, *quarto* Stipendia Officiolatus, et Seruitorum, *quinto* prouisio de Lignis, *sexto* Rerum, quae ad MUSEA augmentanda pertinent, annua procuratio, *septimo* Commercium litterarium, et *octauo* Scripturistica deponunt. Quantitas Summae, quam Aedium accommodatio interior, exteriorque flagitat, determinate definiri nequit. — Haec enim vnice a beneuola Popularium largitione, prompto de Rege, et Regno bene merendi studio, sincerique in Patriam amoris testimonio pendere, nemo non videt. — Caeteris quoque expensis, quae singulis annis per periodum redeunt, Fundum, qui magnanimitati Gentis, et redivisibus tot opulentorum Ciuium respondeat, constituendum esse, res ipsa loquitur.

§. VI.

DE RATIONE FVNDVM ERIGENDI.

At enim modum, quo *Fundus* conflandus sit, inuenire, et proponere, maioris certe est indaginis, quam for-

tasse concipi possit, si diuersa mentis vertigo, quae vmbri-
 assuetos tenet, populari trutina seuerius examinetur. —
 Nihil tamen est tam imperuium, ac difficile, quod pius in
 Patriam sensus vno persaepe halitu non queat difflare, et
 extinguere. — Ibi duntaxat labor adhaeret, vbi spiritus
 patrioticus, qui nos alere, et delectare, nobiscum semper
 pernoctare, peregrinari, et rusticari debet, adperite defi-
 cit. — Si dulcedine natalis Soli allecti, et erecti vias *Col-
 lectarum*, et *Subscriptionum* ingredimur, dubium non est,
 Summas mox componendas, generositate Hungarica dignis-
 simas. — Quodsi enim numerus LII. Comitatum, Districtus
 item Iazygum, et Cumanorum cum Oppidis Haidonicalibus,
 praeterea Liberae, Regiae, ac Montanae L. Ciuitates, tum
 XXV. Capitula, ac copiosi Conuentus, Abbatiae, et Prae-
 positurae beneficiatae, cum ditissimis Episcopatibus, tot de-
 nique fortunatissimi in Regno Toparchae in censum ducan-
 tur, quid prohibet sperare a magnanimitate nobilissimarum
 Personarum tantum beneficium, quantum omnino sufficiens
 sit, ad publicas istas Aedes et ponendas, et dotandas? —
 Gratus namque in Patriam Ciuis benefaciendi desiderio im-
 pellitur, nec indiget consilio; facile pro facultatum suarum
 viribus impertitur, quod donare vult, atque potest, non
 ignarus, scelus esse, Patriam, quum possit, non adiuuare. —
 Grauis sane esset iniuria, si fortasse a quopiam in dubium
 vocaretur liberalitas, qua in spem optimam Patria erigitur,
 acerrimo ingenio praeditos Regni Proceres, Praelatos, Ma-
 gnates, atque Nobiles, si non continua numeratione pecu-
 niae, saltem subscriptione beneficam pro aeterna illustris
 suae Prosapiae gloria porrecturos manum. — Tanquam ex
 specula prospicere integrum est, singulos complendo natio-
 nalis huius Athenaei Aerario pro describendis, aut compa-
 randis Manuscriptis, emendisque Codicibus, et Libris im-
 pressis, persoluendis Chalcographorum, Pictorum, Bibliothe-
 corum, ac Opificum laboribus, pro fundo Lignorum, vel
 Scripturasticorum, pro perenni praeterea reddito coemenda-
 rum Rerum, quae in Antiquitatum, Armorum, Productorum
 naturae, Technologiae, etc. Promptuariis desiderantur, fir-
 mandae denique functioni pro honestis Officialium, et Ser-
 uitorum stipendiis iamiam intentos esse. — Nostra enim,
 Patrumque nostrorum memoria documento est, nihil vnquam
 a Viris affluentia Bonorum beatis praetermissum esse, quod

ad Nationis culturam, gloriam, et dignitatem pro temporum adiunctis quoquo modo facere videbatur.

§. VII.

DE ADMINISTRATIONE FVNDI.

In administrando autem *Musei Aerario* ea cumprimis sequenda videtur esse ratio, vt quidquid auri, argentique vndeunde conflatum fuerit, penes praeuiam insinuationem Serenissimo Archiduci, Regni PALATINO faciendam, *Cassae Regnicolari* ea lege inferatur, vt Idem, cui cura percipiendarum, et erogandarum Regni pecuniarum deman data est, penes Palatini, hac vero dignitate vacante, penes Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Assignationes, etiam MVSEI FVNDVM cum condigna fatigiorum, annuaque mercede administrare obligetur. — Quare pecuniae domi natae, et priuata munificentia congregatae omnes (donec in tantas accreuerint opes, vt in Praedia inuestiri valeant) intra Regni ambitum erga censum legalem elocandae ea cum securitate existimantur, vt *primo* Regni Palatino plena sit potestas, illi mutuum dandi, qui testimonio publico docuerit, se omni tempore parem esse soluendo, aut vero, qui sufficientem fideiussionem praestiterit, quiue *secundo* illud intabulari, *tertio* priuilegiatumque, praescissis singulis seu in exequendo Capitali, seu Interusurio Iuris remediis, penes optionalem Contractum declarari indulserit, consenseritque. Quo autem Census Debitorem minus premat, idem per angarias statuto die quam accuratissime dependendus erit. — Vniuersim sine expresso annutu, duntaxat per Regni Palatinum in forma Decreti, ad *Perceptorum* expediendi, nullae assignationes, exolutiones, erogationes, ac expensae ratihaberi queunt. — Prouincia *Rationes* reuidendi iis incumbet, quos Palatino e quatuor Regni Statibus ad Censuram conuocare visum fuerit. — Totus demum nationalis Aerarii status pro plena Regnicolarum securitate, atque tranquillitate de Comitibus ad Comitibus, et Ordinibus Regni praesentandus, ac per Deputationem Regnicolarem examinandus, Actisque Diaetalibus semper inserendus suadetur, vt non modo ad cuiusuis notitiam peruenire possit, quae, qualiaue in annos bona administratio, et

et geuerosae Oblationes Museo procurauerint incrementa, sed etiam plures exstimulentur ad faciendas nouas fundationes, subsidia, Fundique augmentationes. — Ecquis enim in spem non inducatur pene certissimam, vt, perspecta salutaris, et gloriosissimi huius Instituti magnificentia, aliquid pro Patriae emolumento legaturus, vel fundaturus, non velit huc potius largiri, vbi cum sempiterna nominis sui fama toti Regno interest nouisse rectum administrationis ordinem, quam eo beneficam suam voluntatem inaniter profundere, vbi saepissime post paucum tempus non modo Fundatoris honor dilabatur, et disperit, sed ipsa etiam Fundatio inglorie expirat?

§. VIII.

DE DIRECTIONE MVSEI, ET OFFICIO LATVS
FUNCTIONIBVS.

